

91. Posterior verò multiplicem perniciosam occultat hypocrisin: dum 1. ordines reliquos hierarchicos, Politicum nimirum & Oeconomicum perfectionis laude spoliat. 2. perfectionis Evangelicæ substantiam jis in rebus collocat, quarum illa minime est propria.

92. Nam ut rectè Confessio nostra admonet, consistit perfectionis Evangelicæ laus in vero timore Dei, & fide: non in desertione rerum civilium.

93. Vbi igitur notæ istæ veræ deprehenduntur, ibi haud dubiè de perfectione alicujus potest statui, sive is in politico sive Ecclesiastico sive Oeconomico ordine sit constitutus.

94. In alterius questionis decisione graviter errant Romanenses, qui Episcopis utriusque potestatis jus, & quidem ex ordinatione divina competere contendunt: fingunt item, eos habere absolutam potestatem decernendi non modò in temporalibus, sed etiam in spiritualibus quicquid libuerit.

95. Quibus assertionibus quanta insit vanitas & impietas, jam fuit demonstratum.



Rr

DIS